

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue à Bâle, en 1518, chez Johan Froben, éditeur et ami d'Erasme.

IN LAUDEM ANNAE AVIAE JESUS CHRISTI.

E_1 v.1 Salve parens sanctissima.
 2 Sacro beata conjuge,
 3 sacratiore filia,
 4 nepote sacratissimo.
 5 Domo quid hac illustrius ?
 6 Ornatiusve ? Quae altera
 7 tam multiplex habuit decus ?
 8 Tantum una monstrorum tulit ?
 9 Hic hic maritum annis gravem
 10 effeta anus facit patrem.
 11 Est virgo feta filia
 12 nepos dei verbum, ac deus.
 13 Gener pudicus se negat
 14 partus parentem uxorii.
 15 At integram jurat, neque
 16 rivale pallet suspicax.
 17 Ergo Anna mater optima
 18 cumulatius multo tuas
 19 lacrimas deus solatus est.
 20 Quam vel Rebeccae, vel Sarae.
 21 Vel illius, quae te refert
 22 et rebus et vocabulo.
 23 Quae dum silenter anxii
 24 proferret aestus pectoris,
 25 visa est Heli multo mero
 26 amens parumque sobria.
 27 At te pio cum conjuge
 28 amore prolis annua
 29 templis ferentem munera

30 procax sacerdos reppulit.
31 "Heus, inquit, hinc mihi ocius
32 profana vota tollite,
33 ipsi simul procul procul
34 aris sacris absistite.
35 Vestran' deo donaria
36 futura grata creditis ?
37 Quorum pudendae nuptiae
38 praeter libidinem nihil
39 luxum et senilem scilicet
40 tanto tulere tempore ?"
41 Quo se locorum verterent
42 vultus pudentum conjugum,
43 repulsa quos tam foeda, tam
44 insignis exanimaverat ?
45 Joachim pudorem non ferens
46 gregum ad suorum pascua
47 se proripit. Tristis suam
48 recepit Anna se domum.
49 Largis uterque fletibus
50 votisque pertinacibus
51 orare non cessat deum
52 ut probe probrum tolleret.
53 Caelum penetrarunt preces
54 adest ab astris Angelus
55 qui prole promissa, graves
56 luctus juberet ponere.
57 Surgunt alacres, invicem
58 narrare visa gestiunt,
59 porta maritus aurea
60 se queritantem conjugem
61 offendit. Hic laetus stupor
62 dulces utrique lacrimas
63 excussit. Hinc modicos lares
64 junctis revisunt gressibus,
65 haud vana vox oraculi
66 lusit piam senum fidem.
67 Bis Luna nata quinquies
68 anum videt puerperam.
69 Tanto quidem felicius,
70 fecunda quanto serius,
71 fit Anna filiae parens,
72 nec filiae cujuslibet,
73 sed filiae, quae fertilis
74 eademque virgo gigneret.
75 At quem beata gigneret ?
76 Summi parentis filium,
77 qui scepra terrae et aetheris
78 cum patre habet communia,
79 qui deus et idem homo, necis
80 auctore, victo per necem,

81 vitam reduxit mortuis,
 82 aperuit in caelos iter.
 83 O terque quaterque et amplius
 84 parens beata. Nam potes
 85 juva preces mortalium
 86 tuo vacantum cultui,
 87 nam te patrona quidlibet
 88 speramus assequi. Modo
 89 voles, voletque et filia.
 90 Nec huic petenti pusio
 91 negare quicquam noverit.
 92 Amat parentem filius
 93 neque filio negat pater
 94 amans et ipse filium.

AMEN

CARMEN AD GUILIELMUM COPUM BASILEIENSEM DE SENECTUTIS INCOMMODIS.

E_2 v.1 Unica nobilium medicorum gloria, Cope,
 2 seu quis requirat artem,
 3 sive fidem spectet seu curam, in quolibet horum
 4 vel iniquus ipse nostro
 5 praecipuos tribuit Gulielmo livor honores,
 6 cedit fugitque morbi
 7 ingenio genus omne tuo. Taeterrima porro
 8 senecta morbus ingens,
 9 nullis arcerive potest pellive medelis.
 10 Quin derepente oborta,
 11 corporis epotet succos animique vigorem
 12 hebetet, simul trecentis
 13 hinc atque hinc stipata malis. Quibus omnia carptim
 14 vellitque deteritque
 15 commoda quae secum subolescens vexerit aetas,
 16 formam, statum, colorem.
 17 Partem animi memorem, cum pectore, lumina, somnos
 18 vires, alacritatem,
 19 auctorem vitae igniculum, decerpit, et hujus
 20 nutricium liquorem,
 21 vitales adimit flatus, cum sanguine corpus,
 22 risus, jocos, lepores.
 23 Denique totum hominem paulatim surripit ipsi,
 24 neque de priore tandem
 25 praeterquam nomen, titulumque relinquit inanem.
 26 Cujusmodi tuemur
 27 passim marmoreis inscalpta vocabula bustis.
 28 Utrum haec senecta quaeso
 29 an mors lenta magis dicenda est ? Invida fata, et
 30 impendio maligna,

31 ut quae deteriora labantis stamina vitae,
 32 pernicitate tanta
 33 accelerare velint, rapidisque allabier alis.
 34 At floridam juventam
 35 usque adeo male praecipiti decurrere filo,
 36 ut illius priusquam
 37 cognita sat bona sint, jam nos fugitiva relinquunt.
 38 Et citius atque nosmet
 39 plane vivere senserimus, jam vivere fracti
 40 repente desinamus.
 41 At corvi volucres et cornix garrula vivunt
 42 tot saeculis vigentque.
 43 Uni porro homini post septima protinus, idque
 44 vixdum peracta lustra,
 45 corporeum robur cariota senecta fatigat.
 46 Neque id satis, sed ante
 47 quam decimum lustrum volitans absolverit aetas,
 48 tentare non veretur
 49 immortalem hominis ductamque ex aethere partem.
 50 Et hanc lacessit audax,
 51 nec timet ingenii sacros incessere nervos,
 52 sua si fides probato
 53 constat Aristoteli. Sed quorsum opus obsecro tanto
 54 auctore, quando certam
 55 ipsa fidem, heu nimium facit experientia certam.
 56 Quam nuper hunc Erasmum
 57 vidisti media viridem florere juvena ?
 58 Nunc is repente versus,
 59 incipit urgentis senii sentiscere damna,
 60 et alius este tendit,
 61 dissimilisque sui, nec adhuc Phoebius orbis
 62 quadragies revexit
 63 natalem lucem, quae bruma ineunte Calendas
 64 quinta anteit Novembres.
 65 Nunc mihi jam raris sparguntur tempora canis,
 66 et albicare mentum
 67 incipiens, jam praeteritis vernantibus annis,
 68 vitae monet cadentis
 69 adventare hiemem gelidamque instare senectam.
 70 Eheu fugacis, ohe
 71 pars veluti melior, sic et properantior aevi
 72 o saeculi caduci
 73 flos nimium brevis, et nulla reparabilis arte,
 74 tenerae o viror juventae,
 75 o dulces anni, o felicia tempora vitae
 76 ut clanculum excidistis,
 77 ut sensum fallente fuga, lapsuque volucris
 78 furtim avolastis, ohe
 79 haud simili properant undosa relinquere cursu,
 80 virides fluente ripas.
 81 Impete nec simili, fugiunt cava nubila, siccis

82 quoties aguntur Euris.
 83 Sic sic effugiunt tacitae vaga somnia noctis
 84 simul avolante somno,
 85 quae desiderium, curas et praeter inanes,
 86 sui nihil relinquunt.
 87 Sic rosa, quae tenero modo murice tincta rubebat
 88 tenui senescit austro.
 89 Atque ita, me miserum, nucibus dum ludo puellus,
 90 dum litteras ephebus
 91 ardeo, dum scrutor pugnasque viasque sophorum,
 92 dum rhetorum colores,
 93 blandaque mellifluae deamo figmenta poesis,
 94 dum necto syllogismos,
 95 pingere dum meditor tenues sine corpore formas,
 96 dum sedulus per omne
 97 auctorum volvor genus, impiger undique carpo,
 98 apis in modum Matinae,
 99 paedias solidum cupiens absolvere cyclum,
 100 sine fine gestienti.
 101 Singula correptus dum circumvector amore,
 102 dum nil placet relinqui,
 103 dumque profana sacris, dum jungere graeca latinis
 104 studeoque moliorque,
 105 dum cognoscendi studio, terraque marique
 106 volitare, dum nivasas
 107 cordi est, et juvat et libet ereptare per alpes,
 108 dulces parare amicos
 109 dum studeo, atque viris juvat innotescere doctis,
 110 furtim inter ista pigrum
 111 obrepit senium, et subito segnescere vires
 112 mirorque sentioque.
 113 Vixque mihi spatium jam defluxisse valentis
 114 persuadeo juventae.
 115 Cur adeo circumspecte parceque lapillis,
 116 cur purpuris et ostro
 117 mortales utuntur, et aetas aurea, tanto
 118 pretiosior lapillis,
 119 et quovis auro, quovis pretiosior ostro,
 120 prodigitur, inque nugis
 121 conteritur miseris nullo vecorditer usu,
 122 siniturque abire frustra ?
 123 Adde quod illa queant sarciri perdita, Crassos
 124 speres tibi licebit,
 125 et Lydos speres Croesos, jam Codrus et Irus
 126 sed quod semel severa
 127 pensilibus fuis Clotho devolverit aevum,
 128 id nec venena Circes,
 129 nec magicum Maia nati gestamina, sceptrum
 130 neque dira Thessalorum,
 131 Medeae succis revocare precamina possint.
 132 Non si vel ipse divum

133 nectare te saturet pater ambrosioque liquore.
 134 Namque his ali juventam
 135 arceri senium scripsit nugator Homerus.
 136 Non si tibi efficaci
 137 rore riget corpus Tithoni Lutea conjunx.
 138 Non si ter octiesque
 139 Phaon per Chias Venerem transvexeris undas.
 140 Non si tibi ipse Chiron
 141 omnes admoveat quas tellus proserit herbas.
 142 Nec anulus, nec ulla
 143 pharmaca, cum nervis annos remorantur euntes.
 144 Atqui ferunt Magorum
 145 monstrifico sisti torrentia flumina cantu,
 146 iisdem ferunt relabi
 147 praecipites amnes, verso in contraria cursu.
 148 Et Cynthiae volucres,
 149 et rapidas Phoebi sisti figique quadrigas.
 150 Sed ut haec stupenda possint
 151 carmina, non speres tamen improbus ut tibi quondam
 152 aut jam peracta vitae
 153 saecula iterum reserant aut praetereuntia sistant.
 154 Sol mergitur, vicissimque
 155 exoritur novus et nitido redit ore serenus.
 156 Exstincta luna rursus
 157 nascitur, inque vices nunc decrescente minuta
 158 sensim senescit orbe.
 159 Nunc vegeta arridet tenero juveniliter ore,
 160 redit ad suam juventam,
 161 bruma ubi consenuit, Zephyris redeuntibus annus.
 162 Et post gelu nivesque
 163 ver nitidum floresque reversa reducit hirundo.
 164 At nostra posteaquam
 165 fervida praeteriit saeculis labentibus aestas,
 166 ubi tristis occupavit
 167 corpus hiems capitisque horrentia tempora postquam
 168 nive canuere densa,
 169 nulla recursuri spes, aut successio veris,
 170 verum malis supremum
 171 imponit mors una, malorum maxima, finem.
 172 More Phrygum inter ista
 173 incipimus sero sapere, et dispendia vitae
 174 incogitanter actae
 175 ploramus miseri, et consumptos turpiter annos.
 176 Horremus, exsecramur.
 177 Quae quondam, heu, nimium placuere et quae vehementer
 178 mellita visa dudum,
 179 tum tristi cruciant recolentia pectora felle
 180 frustra que maceramur
 181 tam rarum sine fruge bonum fluxisse, quod omni
 182 bene collocare cura
 183 par erat et nullam temere disperdere partem,

184 at nunc mihi oscitanti
 185 qualibus, heu, nugis, quanta est data portio vitae.
 186 Satis hactenus, miselle,
 187 cessatum, satis est dormitum, pellere somnos,
 188 nunc tempus est, Erasme,
 189 nunc expergisci et tota resipiscere mente
 190 velis dehinc equisque
 191 et pedibus manibusque, et totis denique nervis
 192 nitendum, ut anteacti
 193 temporis, et studio jactura volubilis aevi
 194 vigilante sarciatur
 195 dum licet, ac dum tristis adhuc in limine primo
 196 consistimus senectae,
 197 dum nova canities, et adhuc numerabilis, et dum
 198 pilis notata raris
 199 tempora, dumtaxat spatium effluxisse virentis
 200 jam clamitant juventae,
 201 nec tam praesentem jam testificantur adesse
 202 quam nuntiant citatum
 203 ferre gradum, et sterilem procul adventare senectam.
 204 Cujusmodi videtur
 205 tum rerum facies, cum autumnii frigore primo,
 206 jam vernus ille pratis
 207 decessit decor ac languescunt lumina florum.
 208 Jam jam minus nitentes
 209 herbas affirmes Boreasque geluque nocentis
 210 jam praetimere brumae.
 211 Ergo animus, dum totus adhuc constatque vigetque,
 212 et corporis pusillum
 213 detrimenta nocent, age jam meliora sequamur.
 214 Quicquid mihi deinceps
 215 fata aevi superesse volent, id protinus omne
 216 Christo dicetur uni.
 217 Quo, cui vel solidam decuit sacrarier, ut cui
 218 bis, terque debeatur,
 219 principio gratis donata, hinc reddita gratis,
 220 totiesque vindicata,
 221 huic saltem pars deterior breviorque dicetur.
 222 Posthac valete nugae
 223 fucataeque voluptates risusque jocique
 224 lusus et illecebrae,
 225 splendida nobilium decreta valete sophorum,
 226 valete syllogismi.
 227 Blandae Pegasides animosque trahentia Pithus
 228 pigmenta, flosculique.
 229 Pectore jam soli toto penitusque dicato,
 230 certum est vacare Christo.
 231 Hic mihi solus erit studium dulcesque Camenae,
 232 honos, decus, voluptas.
 233 Omnia solus erit neque quicquam ea cura (quod aiunt)
 234 movebit Hippodidem.

235 Terrea si moles compagoque corporis hujus
 236 marcescet obsolescens,
 237 mens modo pura mihi, scelerumque ignara, per illum
 238 niteatque floreatque,
 239 donec summa dies pariter cum corpore mentem
 240 ad pristinum novata
 241 convictum revocabit, et hinc jam vere perenni
 242 pars utraque fruetur.
 243 Haec facito, ut rata sint vitae exorabilis auctor
 244 vitaeque restitutor.
 245 Quo sine nil possunt umquam mortalia vota, et
 246 vires labant caducae.

AMEN.

ERASMUS AD IOANNEM SAPIDUM SUUM, IN DISCESSU.

E_3 v.1 Quando distrahimur absens absentis amici,
 2 candide Joannes, hoc tibi pignus habe.
 3 Quoque magis spatium sejunget corpora nostra,
 4 mutuus hoc propius pectora jungat amor.

ODE

DE LAUDIBUS BRITANNIAE REGISQUE HENRICI SEPTIMI, AC REGIORUM LIBERORUM.

BRITANNIA LOQUITUR.

E_4 v.1 Si jactare licet magnorum munera divum,
 2 sibique veris fas placere dotibus,
 3 cur mihi non videar fortunatissima tellus ?
 4 Digna est malis, bona quae parum novit sua.
 5 Ultima lanigeris animosa est India lucis,
 6 suis superbus est Arabs odoribus,
 7 thuriferis gaudet Panchaia dives arenis
 8 Ibera flumen terra jactat aureum.
 9 Aegypto faciunt animos septem ostia Nili,
 10 laudata Rheni vina tollunt accolae.
 11 Laeta nec uberibus sibi displicet Africa glebis,
 12 haec portubus superbit, illa mercibus.
 13 At mihi nec fontes, nec ditia flumina desunt,
 14 sulcive pingues, prata nec ridentia,
 15 feta viris, fecunda seris, fecunda metallis.
 16 Ne glorier, quod ambiens largas opes.
 17 Porrrigit Oceanus, neu quod nec amicus ulla
 18 caelum, nec aura dulcius spirat plaga.
 19 Serus in occiduas mihi Phoebus conditur undas,
 20 sororque noctes blanda ducit lucidas.
 21 Possem ego laudati contemnere vellera Beti,

22 ubi villus albis mollior bidentibus ?
 23 Et tua non nequeam miracula temnere, Memphi.
 24 Verum illa major justiorque gloria,
 25 quod Latiis, quod sum celebrata Britannia Graiis,
 26 orbem vetustas, quod vocavit alterum.
 27 Non tamen haec jacto : nam sunt antiqua, sed inde
 28 attollo cristas ac triumpho serio,
 29 quod mihi rex pulchri pars est pulcherrima regni.
 30 Rex unicum hujus saeculi miraculum,
 31 instructus pariter Martisque et Palladis armis,
 32 belli peritus, pacis est amantior.
 33 Indulgens aliis, sibi nil permittit, habenas
 34 suis relaxans civibus, stringit sibi.
 35 Hoc regnum ille putat patriae carissimus esse,
 36 blandus bonis, solis timendus impiis.
 37 Non Deciis sua Roma, suo non Attica Codro,
 38 pluris fuit, fatis redempta mutuis.
 39 Numinis ac caeli tanta est reverentia, quanta
 40 nec erat Metello, nec marito Aegeriae.
 41 Non mellita magis Pyllo facundia regi,
 42 nec Caesari mens major, aut sublimior,
 43 nec Maecenati, vel dextra benignior umquam
 44 vel sanguinis tam magna parcimonia.
 45 Creditus Aeneas Veneris de semine cretus,
 46 dictus parente Scipio satus Jove.
 47 Quid si prisca meum vidissent saecula regem,
 48 hoc ore tam decente, tali pectore ?
 49 Nonne Jovem humanis ipsum succurrere rebus,
 50 nostro latentem credidissent corpore ?
 51 Atque hic semper erit magni mihi numinis instar,
 52 meus hic Apollo saeculi pater aurei.
 53 Hoc oriente meis gens ferrea cessit ab oris,
 54 fraudes reversa Astraea distulit malas.
 55 Non secus, ac toto vanescunt sidera caelo
 56 simul ore Titan emicavit igneo.
 57 Claudere jam Janum fas est, jam ducere longas
 58 custode rerum tam potente ferias.
 59 Me miseram, cur huic aeternos Juppiter annos
 60 non addidisti, cuncta cum donaveris ?
 61 Nolunt nostra suis aequari numina regnis.
 62 At si qua magnos vota tangunt caelites,
 63 serus sidereas certe referatur in arces,
 64 fatale sera stamen amputet Atropos.
 65 Finiit Alcides speciosos morte labores,
 66 debetur altum regibus caelum bonis.
 67 Hunc repetant superi, sed tum cum Nestoris aevum,
 68 ubi senectam vicerit Tithoniam
 69 et vivet tamen usque mihi, dum regia proles
 70 referet parentis nomen, os, et indolem.
 71 Quae mihi purpureis jam quina adolescit in aulis
 72 regum futuri tres patres, matres duae.

73 Non aliter pictis Paesti vernantis in hortis,
74 almo nitentis rore pubescunt rosae,
75 formosae Veneri flos acceptissimus, et quo
76 nec spirat alter aut renidet blandius.
77 Nec cui nexilibus sit gratia tanta coronis,
78 ambire solus regiam dignis comam.
79 Hic ubi cultoris lasciva industria docti,
80 miscere gaudet punicantes candidis.
81 Plurimaque in spina rutilat rosa et albicat una
82 ut lacteum si murici jungas ebur,
83 omnibus idem odor est. Ros omnes educat idem.
84 Eadem juventa, forma par, idem frutex.
85 Atque eadem tellus succo nutrit eodem,
86 foventur auris iisdem, eodem sidere.
87 Sunt duo, quae variant, cognataque germina pulchros,
88 aetas colorque dividunt discrimine.
89 Haec modo nata, latet prope cortice tota virenti,
90 tenuique rima tenera lucet purpura.
91 Haec nivei tantum fastigia protulit oris,
92 sensim at dehiscens turgidos rumpit sinus.
93 Exserit haec totum discissa veste mucronem,
94 clausas minata jam comas evolvere.
95 Illaque lacteolos nondum exsinuavit amictus,
96 vix credit auris tam rudes adhuc opes,
97 candida sed tenui suffunditur ora rubore.
98 Seu fratris hic est, sive sideris color.
99 Maxima ter seno foliorum gaudet honore,
100 Tyrio micantes explicans ostro comas.
101 Non sic lana rubet bis Concha imbuta marina.
102 Non sic Eois Phoebus emergens aquis,
103 nec solum arridet pulchro venientibus ore.
104 Luteola sed jam pollicetur semina
105 hic meus Arcturus qui nominis omine felix.
106 Virtute reddet, quem refert vocabulo.
107 Aspice quod specimen generosae frontis in illo est,
108 ut lucet oculis vividus mentis vigor.
109 Praecoqua nec tardam exspectat sapientia pubem,
110 praevertit annos indoles ardens suos.
111 Talis Iesides, illique simillima proles,
112 hic cum timendas dissecat puer feras,
113 haec quando ancipitem potuit dissolvere litem,
114 malamque fraudem, fraude docta prodere.
115 Proxima consequitur Nymphae quae nomina ducit
116 ab unione, Persici fetu maris.
117 Omne delector, blando candore lapillus
118 placet pudore Margarita lacteo.
119 Hic teres est, nec inaequali levore rotundus,
120 in Margaritae moribus scabrum nihil.
121 Est nova cum liquido gemmae cognatio caelo,
122 claret sereno sole, pallet nubilo.
123 At mea virgo piis est addictissima divis,

124 caelumque mavult, quam vagum pelagus sequi.
 125 Hanc qui cum sociis vidisset ludere Nymphis,
 126 habilique fratrem tela torquentem manu,
 127 aureus hic Phoebus, soror haec argentea Phoebi est.
 128 Per ipsa juret alma Phoebi lumina.
 129 Jam puer Henricus genitoris nomine laetus,
 130 monstrante fontes vate Skeltono sacros.
 131 Palladias teneris meditatur ab unguibus artes.
 132 Quam multus illi lucet in vultu pater,
 133 talis in Ascanio renitebat imago parentis,
 134 sic pulchram Achilles ore reddebat Thetin.
 135 Nescio quid Maria praeclari spondet ab ipso
 136 numquam occidentis sideris cognomine.
 137 Sed cunas, Edmonde, tuas quo carmine dicam ?
 138 Adeste plectris huc sorores aureis
 139 et puero fidibus placidos accersite somnos,
 140 ac Fesceninis insonate versibus.
 141 Muneribus blandis cunabula spargite Nymphae,
 142 aggerite, quicquid est odori graminis,
 143 Ambrosiam, Casiam, Calthamque, Thymumque, Crocumque,
 144 et Syra Amoma, nec insuavem Amaracum.
 145 Tum florum mille species ac mille colores,
 146 sed plurima omnes inter ardeat rosa.
 147 Hanc turbam, hanc niveam pulchris miscete corollis
 148 gaudet paternis parva proles floribus.
 149 Vos precor o puero dare vellera candida Parcae,
 150 eatque fausto molle stamen pollice.

AD GAGUINUM NON DUM VISUM, CARMEN HENDECASYLLABUM.

ALLOQUITUR MUSAS SUAS.

E_5 v.1 Quid dum mittimini verenda ad ora,
 2 Gaguini, lacerae ac leves Camenae.
 3 Restatis trepidaeque pallidaeque,
 4 nec non Parmeno uti Terentianus
 5 causas nectitis, ecquis ? Ecquid ? Ecquo ?
 6 Vos solas adeo, fugit Roberti
 7 nomen, scripta diserta cujus ingens
 8 novit, suspicit ac adorat orbis ?
 9 Ergo nos humilesque barbaraeque
 10 ad tanti patris irruemus, altas
 11 docti, nobilis, ac potentis aedes ?
 12 Magna est rusticitas, nihil pudere,
 13 summa est rusticitas nimis pudere,
 14 ecquem fingitis, obsecro Robertum ?
 15 Personam tragicam ? Cavete cultum
 16 tam raris studiis et expolitum,
 17 vulgi moribus aestimare pectus.
 18 Sunt fastidia taetra barbarorum,

19 sunt commercia gratiis solutis
 20 cum blando Aonidum choro sororum.
 21 Vanum ponite pectoris timorem,
 22 et doctum celeres adite vatem.
 23 Vos quamvis humilesque barbarasque
 24 blando comiter ille, candidoque
 25 exceptabit (ut est benignus) ore.
 26 Si dictaque salute, redditaque
 27 percontabitur, illico, unde, cujae ?
 28 Ne crassum pudeat solum fateri.
 29 Obscurive vocabulum magistri
 30 si quid veneritis rogabit, hoc o-
 31 -ratum carminis hujus ut Poetam
 32 commendatum habeat, suumque scribat.

IN ANNALES GAGUINI, ET EGLOGAS FAUSTINAS, EIUSDEM CARMEN RURI SCRIPTUM,
ET AUTUMNO.

E_6 v.1 Nuper cum viridis nemoroso in margine ripae
 2 irrigua spatiarer in herba,
 3 errabam tacitae per amica silentia silvae,
 4 dulci tactus corda furore.
 5 Jam nemora et fontes, jam rustica vita placebat,
 6 turbam et fumida tecta peroso.
 7 Cumque Marone meo, gelidis in vallibus Hemi
 8 sisti terque quaterque precabar.
 9 Cum subito affulgens, Venerique simillima pulchrae,
 10 obvia fit tua, Fauste, Thalia.
 11 Protinus illa oculis est eminus agnita nostris,
 12 comi arrisit molliter ore.
 13 Ut coram stetit : "Ecquid agit meus, occupo, Faustus ?
 14 Quidve decus commune Gaguinus ?"
 15 Vivit uterque, et uterque suo devinctus Erasmo,
 16 aut eadem, aut meliora precatur."
 17 "Gaudeo. Verum age dic, quidnam molitur uterque
 18 quod cantet schola Franca legatve ?
 19 Quae, reor, a tam ditibus atque feracibus arvis,
 20 jamdudum annua munera sperat
 21 autumnumque suum ?" Primum tuus ille Robertus
 22 exaequat sermone soluto
 23 stemmata Francorum, et decus et fera proelia regum,
 24 jam nihil est, quod Gallia docto
 25 invideat Latio, suus ipsi contigit alter
 26 Livius ac Sallustius alter."
 27 "Quid tuus ille parat vates ? Quonam monumento
 28 faustum nigris invidet umbris ?
 29 An silet, alterna cupiens recreare quiete
 30 longis hausta laboribus arva ?
 31 Ille quidem felix agit otia, qualia quondam
 32 Scipiades agitare solebat.

33 Urbe procul, tacitis, solus, neque solus, in agris
 34 otia pulchri plena negoti.
 35 Quippe inter colles, vinetaque Gallica solus,
 36 Parrisiis vagus errat in agris.
 37 Sunt comites pingui gaudentes rure Camenae,
 38 illic raptus Apolline toto,
 39 et sese, et Muis dignum Phoeboque poema
 40 agresti meditatur avena.
 41 Quale nec aequari doleat sibi Tityrus ipse,
 42 qui patulae sub tegmine fagi,
 43 silvestrem tenui tentabat arundine musam.
 44 Quale trahat camposque pecusque,
 45 quale queat rigidas deducere montibus ornos,
 46 sistere flumina, flectere saxa,
 47 reddere quale queat placidos tigresque luposque,
 48 quale feros evincere manes.
 49 Denique (quod proprie tecum laetabere) castum
 50 nulla hic Livia, nulla Columba.
 51 Nusquam hic formosum Corydon ardebit Alexin.
 52 Phyllis toto in carmine nulla.
 53 Quod neque Sorbonae nequeat censura probare.
 54 Et multos habet illa Catones,
 55 quod neque grammaticus tenerae dictare juventae,
 56 plagosa vereatur in antro,
 57 nec tetrico Hippolytum pudeat recitare parenti
 58 felicem ter et amplius illum,
 59 quisquis Faustina dicetur arundine Gallus
 60 vel Varus, vel Pollio quisquis,
 61 vivet et aeternum pulchro cum carmine notus
 62 quadrifido cantabitur orbe.

EIUSDEM IN MORBO DE FATIS SUIS QUERELA.

E_7 v.1 Miror quae mihi sidera
 2 nascenti implacido lumine fulserint.
 3 O Gaguine, meum decus,
 4 nam seu jure aliquo nostra negotia
 5 ignes aetherei regunt,
 6 me primum teneras lumen ad insolens
 7 aedentem querimonias,
 8 nec mitis rutilo sidere Juppiter
 9 aspexit, neque prospera
 10 arrisit radias mi Venus aureis.
 11 Tantum Mercurius celer
 12 adfulgens nitidis eminus ignibus
 13 adflarat sua munera.
 14 Sed stella vetuit falcifer invida,
 15 Vulcanique minax rubens,
 16 rivalis, calidus cum gelido senex.
 17 Seu tres terrigenum deae

18 fortunas triplici numine temperant,
 19 sum durissima stamina
 20 sortitus, Volucrem, seu potius deam
 21 versare omnia credimus,
 22 hanc in perniciem certe ego dejerem
 23 conjurasse meam miser.
 24 Felicis mihi nec fata Polycratis,
 25 nec Scyllae precor improbus.
 26 Arpinas toties consul, iniquus
 27 fortunam insimulat suam,
 28 quae tot prospera, tot dulcia paululo
 29 fermento vitiaverit.
 30 Ingrate ille quidem rusticus, ac foro
 31 rerum nescius utier,
 32 alterius dominae qui queritur vices.
 33 Sat felicem ego judico,
 34 qui praesentia lenire potest mala,
 35 actis prosperius memor,
 36 ac sperare iterum jam fore quod fuit.
 37 At me matris ab ubere
 38 fati persequitur tristis et asperi
 39 idem ac perpetuus tenor,
 40 in me crediderim proruit improbi
 41 pixis tota Promethei,
 42 et quicquid stabulat triste vel asperum,
 43 nigri in limine Tartari.
 44 Heu quid simplicibus vatibus invidum
 45 numen, quis Genius malus ?
 46 Quaeve infesta novem Juno sororibus
 47 sic nostrum caput impetit ?
 48 O fatis genite prosperioribus
 49 bis, Gaguine, meum decus.
 50 Hunc si tu minime temnis amiculum,
 51 non totus fuero miser,
 52 nec cedent gravibus pectora casibus.

ARX VULGO DICTA HAMMENSIS.

E_8 v.1 Me qua sim non magna, cave contempseris hostis,
 2 arx Tarpeia Remi non mage tuta fuit.
 3 Quod bene defensat primum hic quam sustinet agger,
 4 tu qui me cingit non inamoena palam.
 5 Ista quidem omnigenos mihi commoda servit in usus
 6 at subito infusis, cum volo stagnat, aquis.
 7 Jam vero, ut cesset, vigilum custodia pernox,
 8 stertat ut aerea Lynceus in specula.
 9 Attamen excubias Grus officiosa diurnas
 10 intus, nocte foris pervigil Anser agit.
 11 Grus neque docta, nec admonita, speculantis ad aera
 12 responsans acri clangit in astra tuba.

13 Et procul insidias (nam praesentire videtur)
 14 fida, sono vigili prodit et arcet avis.
 15 Anser item non doctus obit sua munia, cum fas
 16 pabulat, et nota ad symbola rursus adest.
 17 Ast ubi vicino se condidit aequore Titan,
 18 milite tum denso moenia nostra subit.
 19 Partiturque aliquis mira arte locosque vicesque
 20 quive aetate prior sorteve lectus erit.
 21 Nec cedunt statione sua, dum rursus ab undis
 22 emicet et clarum lux agat alma diem.
 23 Adde quod hic miles tam fidus et impiger, annos
 24 complures, nullo jam meret aere mihi.

EPITAPHIUM ODILIAE FIGENDUM IN CIMITERIO SUB SIGNO CRUCIFICI.

E_9 v.1 Sepulta vivum te salutat Odilia.
 2 Quid ad sepultae verba mox fugit color ?
 3 Vivum saluto viva. Cur lubitum est rei
 4 placidae bonaesque dira dare vocabula ?
 5 Mala vita mors est, et sepulcrum, et inferi.
 6 Una haec tibi timenda, si mortem times.
 7 Nam quod vocant mori est piis renascier.
 8 Nostri peribit nihil, et haud pilus, nisi
 9 perit, feraci semen abditum scrobe,
 10 mox se benigno redditurum fenore.
 11 Si rem putaris, quid mori est, nisi seri ?
 12 Condi sepulchro, quid, nisi occari sata ?
 13 Jamque in propinquo est ille fatalis dies,
 14 cum vere nostro flantibus Favoniis
 15 rediviva putri pullulabunt e cavo.
 16 Moxque emicabit laeta corporum seges.
 17 Quorum viror perennis, haud umquam amplius
 18 marcescet, hanc in spem fidelis interim
 19 sopita gremio terra servat fragmina.
 20 At mens caducis expedita vinculis
 21 invisamquamquam, vivit, ac te cominus
 22 sentit videtque, triplici discrimine
 23 vitae anteactae merita carpens praemia,
 24 messemque pro semente quam fecit metens.
 25 Bona pars relictis artubus circumvolans
 26 captat, pias hac comitantium preces,
 27 ut a luendis expiata noxiis,
 28 quas terreo contraxit e contagio
 29 jam pura purum adire possit aethera.
 30 Has flagitato subleva precamine,
 31 memor, vices te mox manere mutuas.
 32 Pendentis alto victimae de stipite
 33 mors obsecranda est, obsecranda vulnera
 34 hoc fonte, si quod efficax piaculum,
 35 vivisque manat, manat hinc et mortuis.

36 Si porro properas, tum precatus verbulo
 37 lucem et quietem, perge cursum, te quoque
 38 para sepulchro, mox secuturus. Vale.

EIUSDEM QUERELA DE FILIO SUPERSTITE.

E_10 v.1 Dictum erat ad sacras mihi nomen Odilia lymphas,
 2 idque mei solum, jam superesse vides.
 3 Cetera mors rapuit. Cineres atque arida tantum
 4 terra parens gremio confovet ossa suo.
 5 Quid tibi te dignum, nisi te mors saeva precemur
 6 scindere cui cordi est, quae bene junxit amor ?
 7 Jam nihil est caram a membris discerpere vitam
 8 quiddam etiam dulci dulcius est anima.
 9 Tu potes a gnato dilectam avellere matrem,
 10 impia, vel centum rumpere vincla potes,
 11 quos natura potens, te praeter in omnia victrix
 12 mutua quos pietas, quos ita rara fides.
 13 Quos mores placiti, et dulcis concordia vitae
 14 tam bene, tam multis nexibus unierant.
 15 Hos tu ut distraheres tollis, sine pignore matrem
 16 atque ita pars melior orba relicta mei est.
 17 Sed bene, quod mors nostra scidit, tua, Christe, resarcit
 18 plusque boni reddit quam dedit ista mali.

RESPONDET FILIUS SUB PICTURA CHRISTI CRUCIFIXI MOYSI ET SERPENTIS.

E_11 v.1 Vita fugax haud longa dedit divortia nostri :
 2 en mors aequa tibi, quod tulit ipsa refert.
 3 Una duos pietas vivos bene junxerat, ut nunc
 4 amborum cineres una recondit humus.
 5 Amborum vultus tabula visuntur eadem,
 6 subripuit leto hoc ingeniosa manus.
 7 At tu, spectator, sortis memor omnibus aequae,
 8 haec saltem ex animo fundito vota sitis.
 9 Christe, necis domitor ac vitae perpetis auctor,
 10 jugem animis vitam morte repone tua.
 11 Tu sacra illa silex, teretis quae verbere virgae
 12 vitales scatebras gentibus icta dedit.
 13 Tuque salutiferum serpentis in arbore signum,
 14 quod veteris colubri cuncta venena domat.
 15 Quin hodieque piis vitae fons ille perennis
 16 pectore defosso sanguis et unda scatet.
 17 Ille dat exanimes reduci recalescere flatu
 18 haec animae maculas abluit omnigenas.
 19 His age muneribus dulci cum pignore matrem
 20 in dextrum referens affere Christe gregem.

IN FILIAM BEKAE QUOD SONAT RIVUM LINGUA NOSTRATE.

E_12 v.1 Sum Gulielma, patre Arnolde cognomine Beka, is
 2 juris fons gemini, non mo<do> rivus erat.
 3 Cui gener Antoni placuisti ex omnibus unus,
 4 Isbrandum referens ore animoque patrem.
 5 Nec minus est mea vita tibi, quam forma probata,
 6 templa, domus, proles, haec mea cura fuit.
 7 Quattuor enixam pueros totidemque puellas,
 8 mors rapit, intra aevi septima lustra mei.
 9 Lector, age huic requiem, cinerique, animaeque precatus,
 10 vive diu, immo diu est hic nihil, ergo bene.

EPITAPHIUM MARGARETAE HONORAE.

E_13 v.1 Hic sita Margareta est, merito cognomine Honora,
 2 fiscini taedis digna Guihelme tuis
 3 quam bene congruerant et forma et pectus et anni,
 4 et ne morte quidem dissoluendus amor.
 5 Rapta sed est viridis primaevo in flore juventae,
 6 ut rosa lacteolis semadaperta comis.
 7 Dimidius superest dulci sine conjuge conjunx
 8 maerens, ut viduus compare turtur ave.

EPISCOPO TRAJECTENSI DAVID NOTHO PHILIPPI DUCIS BORGONDIONUM.

E_14 v.1 Hic situs est praesul, non tantum nomine David,
 2 digna patre proles, magne Philippe, tua.
 3 Iste gregem plusquam patria pietate fovebat,
 4 pacis amans, virtuti ingeniisque favens.

EIDEM.

E_15 v.1 Hic David ille duci proles jactanda Philippo,
 2 commissum patrio fovit amore gregem.

JACOBO BATTO, GRAECO DIMETRO IAMBICO.

E_16 v.1 (Duo versus graece scripti)

IIDEM LATINI VERSUS.

E_17 v.1 Jacobe Batte, ne time,
 2 bene moriens renascitur.

IN TERGO CODICIS BATTICI.

E_18 v.1 Sum Batti, qui me manibus subduxerit uncis
2 huic ne quo Battus defuat opto loco.

DUO SALINA ARGENTEA ABBATI CUIDAM DONO MISSA
A MONIALIBUS, MONASTERII VULGO DICTI VALLIS VIRGINUM.

E_19 v.1 Virginea de valle, duo sine labe salilla
2 adsumus, hanc mensam non nisi pura decent.

IN ALTERO SALINO.

E_20 v.1 Virginitas nitor argenti, sapientia sal est.
2 Virgo dat argentum, tu, pater, adde salem.

IN SEX TINTINABULA RESTITUTA, QUAE FULMINE CONFLAGRARANT.

E_21 v.1 Concinimus sex aera, at ego cui maxima vox est
2 alpha et "ô" Triadi rite dicata vocor.
3 Nos aedemque sacram, Scasti pia cura Girardi,
4 praesulis, absumptam fulmine restituit.

IN TINTINABULUM MARIAE SACRUM,

E_22 v.1 Aenea mi vox est, ac sic nulla aenea vox est,
2 ut par Christiparae laudibus esse queat,

IN IDEM.

E_23 v.1 Maria nomen inditum est mihi mutuum,
2 qua trinitati nil sedet vicinius.

TERTIUM BAPTISTAE SACRUM.

E_24 v.1 Vox clamantis erat, cujus gero nomina plebem
2 ad Christi cultum nocte dieque voco.

QUARTUM PETRO SACRUM.

E_25 v.1 Petro sacra fugo cacodaemonas, arceo fulmen,
2 funeraque et festos cantibus orno dies.

QUINTUM MAGDALENAE SACRUM.

E_26 v.1 Sum Magdalенаe, juvit impium fulmen,
2 meliora quando cuncta dat pius praesul.

SEXTUM OMNIBUS SANCTIS SACRUM.

E_27 v.1 Exilis mihi vox, sed quae ferit eminus aures,
2 dat mihi caelicolum nomina tota cohors.

ALITER.

E_28 v.1 Non mihi Dodones, non aera profana Corinthi
2 certent. Nam cunctis tinnio caelitibus.

IN AULICUM QUENDAM CLERO INFESTUM.

E_29 v.1 Ursalus ecce Midas, sed Lydo stultior illo
2 se properat quovis nobilitare modo.
3 Et furit in clerum, capit hinc exordia famaе,
4 eque Mida subito vertitur in Phalarim.
5 Sic quondam exusto peperit sibi nomina templo
6 credo auctor generis graeculus ille mali.
7 Tam stolidam mentem nullis aboleveris undis,
8 at rabiem solus tollere mucro queat.

IN EUNDEM.

E_30 v.1 Tam stolidum credo, nec te Mida pectus habebat,
2 Malce, nec in clerum tam violentus eras
3 quam quidam (non est sententia dicere nomen,
4 nam famam affectat qualibet ille via).
5 Huic utinam aut aliquis asininas addat Apollo
6 aut ambas Petrus demetat auriculas.
7 Aut certe crepet ipse magis faciatque paterni
8 quod cognomenti syllaba prima monet.

IN EUNDEM.

E_31 v.1 Bacchanti in clerum tibi dixerat Ursale quidam
2 et jus Caesareum laedier atque sacrum.
3 Hic tu ridebas hominem multumque diuque
4 et merito, quid enim hoc stultius ac levius ?
5 Qui praeter tibi jura coqui notissima juris
6 auditum nomen crederet esse aliud.

IN PICTURAM FABULAE GIGANTEAE.

E_32 v.1 En stolidi sine patre sati tellure Gigantes
 2 montibus accumulanti montes ipsumque minantur
 3 caelicolam regem supera detrudere ab arce.
 4 Sed male vesanae cedent sine pectore vires.

IN EOSDEM FULMINE DEPULSOS.

E_33 v.1 Juppiter exstructas disturbat fulmine moles
 2 ignibus involvens rapidis montesque virosque.
 3 Sic sic vis sine consilio, sic impia facta
 4 praecipitata ruunt superis ultoribus usque.

IN TABULAM PENTHEI TRUCIDATI.

E_34 v.1 Penthea cernis Echioniden,
 2 hospitis Orgia qui Bromii
 3 spreverat. Impius ecce deo
 4 vindiciam malefacta luit.
 5 Matris enim, Orgiadumque manu,
 6 dum fera creditur esse, perit.
 7 Quam sceleri bene poena suo
 8 congruit et mala digna malis,

IN PICTURAM EUROPAE STUPRATAE.

E_35 v.1 Hic qui a monte boves ad proxima litora vertit
 2 aurea te, quis sit, virga monere potest.
 3 Tum testes alae neque non talaria, testis
 4 in flavo bicolor crine galerus erit.
 5 Si rogitas quid agat, patrio subservit amori,
 6 inscius obsequio, furta dolosa tegens.
 7 Raptor enim nivei latitat sub imagine tauri
 8 improbus, ac praedam per freta longa vehet.
 9 Ut Cretam attigerit, mox taurus desinet esse
 10 Juppiter. Et virgo non erit ista diu.
 11 Quid non caecus amor mortalia pectora cogat,
 12 si taurum aethereum non piget esse Jovem ?
 13 Aut quae formosis satis est cautela puellis,
 14 hic quoque stuprator si metuendus erat ?

IN PRONTE LIBELLI DONO MISSI EPISCOPO ATREBATENSI.

E_36 v.1 Avibus secundis vade charteum munus,
 2 exile quamquam te brevis dicat vates.

3 Liceat modo placere praesuli docto :
4 pretio lapillos viceris et Erythraeos.

IN PRONTE LIBELLI DE IMPERATORIA MAJESTATE.

E_37 v.1 Christianum orbem tuenti qui favetis Caesari,
 2 huic favebitis libello, qui tuetur Caesarem.

IN FRONTE ODARUM GUILIELMI.

E_38 v.1 Huc, si quid pia, si pudica Musa
 2 delectat, nihil hic vel inquinatum
 3 vel quod melle nocens tegat venenum.
 4 Christum tota sonat chelys Guihelmi.

IN FRONTE LIBELLI BUSLIDIO DONO MISSI.

E_39 v.1 Non ego Buslidiae decus adfero bibliothecae,
 2 sed decus apponit bibliotheca mihi.

IN FRONTE ALTERIUS.

E_40 v.1 Non equidem ornabis tu, Antoni, bibliothecam ;
 2 te magis ornabit bibliotheca liber.

IN CAECUM TRAGOEDIARUM CASTIGATOREM.

E_41 v.1 Cur adeo lector crebris offendere mendis ?
 2 Qui castigavit, lumine captus erat.

SUB PICTURA VULTUS CHRISTI.

E_42 v.1 Hic intuetur et intimos mentis sinus,
 2 fac tota niteant pectoris penetralia,

AGIT CARMINE GRATIAS PROMISSO MUNERE.

E_43 v.1 Antistes sacer elegantiorum, ac
 2 princeps, Carmiliane, litterarum,
 3 en versus tenuis tibi Poeta
 4 hos pro munere splendido rependit
 5 hoc est scilicet, aere mutat aurum.
 6 At quid tandem aliud deis vel ipsis
 7 gratus sed tenuis referre vates

8 possit quam numeros modosque ? Verum
9 largiri numeros tibi, Petre, hoc est
10 silvae ligna, vago mari addere undas.

IN FRONTE ENCHIRIDII.

E_44 v.1 Nil moror aut laudes, levis aut convicia vulgi,
 2 pulchrum est vel doctis, vel placuisse piis.
 3 Spe quoque majus erit mihi si contingat utrumque.
 4 Cui Christus sapit, huic si placeo, bene habet.
 5 Unicus ille mihi venae largitor Apollo,
 6 sunt Helicon hujus mystica verba meus.

LIBELLUS DONO MISSUS.

E_45 v.1 Mittere cur verear magno leve munus amico,
 2 cum capiant summos thuscula pauca deos.

IOANNI OKEGO* MUSICO SUMMO, EPITAPHIUM.

(*Jean Okeghem)

E_46 v.1 Ergone conticuit
 2 vox illa quondam nobilis,
 3 aurea vox Okegi ?
 4 Sic musicae exstinctum decus ?
 5 Dic age, dic fidibus
 6 tristes, Apollo, naenias.
 7 Tu quoque, Calliope,
 8 pullata cum sororibus,
 9 funde pias lacrimas.
 10 Lugete, quotquot musicae
 11 dulce rapit studium,
 12 virumque ferte laudibus.
 13 Artis Apollineae
 14 sacer ille Phoenix occidit.
 15 Quid facis, invida mors ?
 16 Obmutuit vox aurea,
 17 aurea vox Okegi,
 18 vel saxa flectere efficax,
 19 quae toties liquidis
 20 et arte flexilibus modis
 21 per sacra tecta sonans,
 22 demulsit aures caelitum
 23 terrigenumque simul
 24 penitusque movit pectora ?
 25 Quid facis, invida mors ?
 26 Vel hoc iniqua maxime,
 27 aequa quod omnibus es.
 28 Sat erat tibi promiscue

29 tollere res hominum,
 30 divina res est Musica :
 31 numina cur violas ?

HENRICI EPISCOPI CAMERACENSIS EPITAPHIUM.

E_47 v.1 Henricus hic est, Bergicae stirpis decus,
 2 qui laude morum avita vicit stemmata.
 3 Gregis salute nil habuit antiquius,
 4 in quem pius paterna gessit viscera.
 5 Hic incitatus amore miro caelitem,
 6 Jacobe sedem visit impiger tuam,
 7 arcemque Petri visit, et Solymas sacras.

DE EODEM.

E_48 v.1 Berganae stirpis septem de fratribus unum
 2 condidit Henricum hoc invida Parca loco.
 3 Ille gregis Cameracini praesulque paterque,
 4 cui simul et patriae non sibi natus erat,
 5 bisque Jacobaeam visit pius advena sedem,
 6 dehinc Romam, et Solymas vectus adusque sacras,
 7 sic pietate vagus, virtute gravissimus, aevum
 8 exegit felix et sine labe suum.

IN MAGNATEM QUEMDAM, SED PICTO NOMINE,
 QUI LAUDES SUAS EXIGUO MUNUSCULO PENSARAT.

E_49 v.1 Correxerit errorem meum,
 2 lepide Marullus. Nam mihi
 3 laudatus aequo largius
 4 nimium pusillo prodigum
 5 vatem redonat munere.
 6 O pectus, o memorabilem,
 7 hujus modestiam viri.
 8 Non vult cani quae non facit,
 9 vult et sileri quae facit.
 10 Proin pudendis praemiis
 11 invitatur ad palinodiam,
 12 invitatur ad silentium.
 13 Non suadet hoc frugalitas
 14 tenaxque Parsimonia,
 15 cum sannionibus quoque
 16 foedisque morionibus
 17 prolixa donet munera.
 18 Quod ista donat vatibus,
 19 quae dare minus quam nil dare est,
 20 pudore non vitio facit.

DE CASA NATALITIA PUERI JESU,
DEQUE PAUPERE PUERPERIO VIRGINIS DEIPARAE MARIAE.

E_50 v.1 Ecquid adhuc veterum sequimur spectacula rerum ?
 2 Huc huc frequentes currite.
 3 Haec casa, quae lacera et stat agrestibus horrida culmis,
 4 novum dabit spectaculum.
 5 Quale nihil saeculis proavi videre vetustis,
 6 nihil videbunt posteri.
 7 Hic cujus tonitru tellusque tremiscit et aether,
 8 teneris crepat vagitibus.
 9 Hic orbis magni moderator maximus infans
 10 virginea mulget ubera.
 11 His ego non stabulis augusta palatia Romae
 12 feliciora iudicem.
 13 Non (operosa licet) Solomonia templa, nec auream
 14 Lydi tyranni regiam.
 15 Salve clara domus caeloque beatior ipso,
 16 partus sacrati conscia.
 17 Jure tibi Jovis invideant Capitolia falsi,
 18 divis superba saxeis.
 19 Aegyptus sancta invideat cunabula, monstris
 20 finem datura turpibus.
 21 Nec minus apta deo es, quod hiantibus undique rimis
 22 imbres et Euros accipis.
 23 Quod lodicis egens, rigidoque incommoda feno
 24 fetus rubentes excipis.
 25 Talia nascentem decuere cubilia Christum, ut
 26 qui dedocere venerit
 27 fastum nullaque non suadentem turpia luxum.
 28 Non hic renident purpurae,
 29 sertave frondea, non imitantes fulmina taedae,
 30 non mensa sumptuosior,
 31 nec strepit officiis domus ambitiosa, nec alti
 32 fovent puerperam tori.
 33 Pannosus jacet in duris praesepeibus infans.
 34 Divinus attamen vigor
 35 emicat, et patrios vagitu despuit ignes.
 36 Sensere praesentem deum,
 37 (quodque licet) puero jumenta tepentibus auris
 38 frigus decembre temperant.
 39 Opilio calamis iisdem, quibus ante capellis,
 40 agreste sed pium canit.
 41 Aethereique chori volitant cunabula circum,
 42 ut mensibus vernis, apum
 43 degenerem simul ac pepulere examina regem,
 44 regi novo, faventibus
 45 applaudunt alis sublimemque agmine tollunt.
 46 Sic turma caelitum duci

47 circumfusa suo, gaudens stupet, atque jacentem
 48 pronis adorat vultibus,
 49 et natalicium sonat ad praesaepia carmen.
 50 Conjux pudicus interim,
 51 fusus humi, magnum trepidus veneratur alumnum.
 52 Porro puella, nobilis
 53 pars bona spectaclii, defixis haeret ocellis,
 54 primumque sese non capit,
 55 seque suumque stupens genitrix virguncula partum,
 56 nulli marito debitum.
 57 At simul ejecit pietas materna stuporem,
 58 praedulce pignus corripit,
 59 ac modo porrectis prohibet vagire papillis,
 60 modo tepente frigidum
 61 blanda fovet gremio parvisque dat oscula labris.
 62 Nunc pectori adprimit suo,
 63 nunc blaeso teneros invitat murmure somnos,
 64 amabili invicem modo.
 65 Laetam prole deo videas gestire parentem,
 66 prolem parente virgine.

EXPOSTULATIO JESU CUM HOMINE SUAPTE CULPA PEREUNTE.

E_51 v.1 Cum mihi sint uni bona, quae vel frondea tellus,
 2 vel Olympus ingens continet,
 3 dicite, mortales, quae vos dementia cepit ?
 4 Haec aucupari ut unde vis
 5 malitis, quam de proprio deposcere fonte,
 6 adeo benigno, et obvio ?
 7 Mendacesque juvet trepido miseroque tumultu
 8 umbras bonorum persequi ?
 9 Pauci me, qui sum verae largitor et auctor
 10 felicitatis, expetant ?
 11 Forma rapit multos, me nil formosius usquam est,
 12 formam ardet hanc nemo tamen.
 13 Suspiciunt ceras antiquaque stemmata multi,
 14 at me quid est illustrius ?
 15 Ut qui sim genitore deo deus ipse profectus,
 16 genitrice natus virgine.
 17 Unde fit, ut mecum vix gestiat unus et alter
 18 affinitatem jungere ?
 19 Maximus ille ego sum caelique solique monarcha,
 20 servire nobis cur pudet ?
 21 Dives item et facilis dare magna, et multa roganti,
 22 rogari amo, nemo rogat.
 23 Sumque, vocorque patris summi sapientia, nemo
 24 me consulit mortalium.
 25 Ipse ego sum aetherei splendorque, decusque parentis,
 26 me nemo stupet aut suspicit.
 27 Sum firmus juxta ac jucundus amicus amico,

28 me pariter, ac meas opes
 29 candidus, atque lubens caris impertio, nemo hanc
 30 ambit necessitudinem.
 31 Sum via qua sola caeli itur ad astra, tamen me
 32 terit viator infrequens.
 33 Cur tandem ignarum dubitat mihi credere vulgus ?
 34 Aeterna cum sim veritas.
 35 Pollicitis cur stulte meis diffidere perstas ?
 36 Cum sit nihil fidelius.
 37 Auctor ad haec vitae cum sim unicus, ipsaque vita
 38 cur sordeo mortalibus ?
 39 Lux ego sum, cur huc vertunt sua lumina pauci ?
 40 Dux, cur gravantur insequi ?
 41 Vivendi recte certissima regula solus,
 42 aliunde formas cur petunt ?
 43 Ipse ego sum solus vera et sine felle voluptas,
 44 quid est quod ita fastidior ?
 45 Unica pax animi, quin huc deponitis aegri
 46 curas edaces pectoris ?
 47 Si benefacta truces etiam meminere leones,
 48 referuntque beluae vicem,
 49 respondere feri merito didicere dracones,
 50 si meminit officii canis,
 51 si redamant aquilae, redamant delphines amantem,
 52 cur efferatior feris,
 53 me me non redamas homo ? Cui semel omnia feci,
 54 quem condidi, quem sanguine
 55 asserui proprio, propriaeque a morte recepi
 56 dispendio vitae volens.
 57 Si bos agnoscit dominum, si brutus asellus
 58 agnoscit altorem suum,
 59 cur me solus homo male gratus, nosse recusas
 60 et conditorem et vindicem ?
 61 Unus ego hic tibi sum cunctorum summa bonorum ?
 62 Quid est quoque extra me petas ?
 63 Quorsum distraheris per tot dispendia grassans
 64 laboriosa inertia ?
 65 Sum placabilis et pronus miserescere, quin hoc
 66 miser ad asylum confugis ?
 67 Idem justus et implacabilis ultor iniqui,
 68 cur non times offendere ?
 69 Corpus ego atque animum nutu sub tartara mitto,
 70 nostri metus vix ullum habet.
 71 Proinde mei desertor homo socordia si te
 72 adducet in mortem tua,
 73 praeteritum nihil est, in me ne rejice culpam :
 74 malorum es ipse auctor tibi.
 75 Nam quid adhuc superest ? Si te neque provocat ardens,
 76 suique prodiga caritas,
 77 o bis marmoreum pectus, neque mitigat umquam
 78 adeo profusa benignitas,

79 si neque tantarum vel spes certissima rerum
 80 expergefacit et allicit.
 81 Si neque tartareae cohibet formido gehennae,
 82 nec ullus admonet pudor,
 83 immo si durant magis haec, adduntque stuporem
 84 tam multa, tamque insignia,
 85 ut facile immanesque feras chalybemque petramque
 86 rigore victo molliant.
 87 Quid faciat pietas, quibus artibus abstrahat ultro
 88 devota morti pectora ?
 89 Invitum servare, nec est mentis, puto, sanae,
 90 et patria prohibet aequitas.

CARMEN IAMBICUM.

E_52 v.1 Non invenusto antiquitas aenigmate
 2 studii magistram virginem
 3 finxit Minervam, ac litterarum praesides
 4 finxit Camenas virgines.
 5 Nunc ipse virgo matre natus virgine,
 6 praesideo virgineo gregi.
 7 Et sospitator hujus et custos scholae,
 8 adsunt ministri virgines,
 9 pueros meos mecum tuentes angeli.
 10 Mihi grata ubique puritas,
 11 decetque studia litterarum puritas.
 12 Procul ergo sacro a limine
 13 morum arceant mihi litteratores luem,
 14 nihil huc recipiant barbarum.
 15 Procul arceant illitteratas litteras,
 16 nec regna polluant mea.

SAPPHICUM.

E_53 v.1 Coeperit faustis avibus precamur,
 2 semper augescens meliore fato,
 3 hic novae sudor novus officinae,
 4 auspice Jesu.
 5 Hic rudis (tamquam nova testa) pubes
 6 litteras Graias, simul et Latinas,
 7 et fidem sacram tenerisque Christum
 8 combibet annis.
 9 Quid fuit laeta sobolem dedisse
 10 corporis forma ? Nisi mens et ipsa
 11 rite fingatur, studiisque castis
 12 culta nitescat ?
 13 Stirpe ab hac sensim nova pullulabit
 14 civium proles, pietate juxta, ac
 15 litteris pollens, breviterque regno

16 digna Britanno.
 17 Ludus hic silvae pariet futurae
 18 semina, hinc dives nemus undequaque
 19 densius surgens decorabit Anglum
 20 latius orbem.

IMAGO PUERI JESU IN LUDO LITERARIO, QUEM NUPER INSTITUIT COLETUS.

E_54 v.1 Discite me primum pueri, atque effingite puris
 2 moribus, inde pias addite litterulas.

CARMEN PHALECIUM.

E_55 v.1 Sedes haec puero sacra est Iesu
 2 formandis pueris dicata. Quare
 3 edico, procul hinc facessat, aut qui
 4 spurcis moribus, aut inerudita
 5 ludum hunc inquinat eruditione.

ALIUD.

E_56 v.1 Quin hunc ad puerum pueri concurritis omnes ?
 2 Unus hic est vitae regula, fonsque piaae.
 3 Hunc qui non sapiar, hujus sapientia stulta est,
 4 absque hoc vita hominis mors (mihi crede) mera est.

AD GALAT. QUINTO.

VALET IN CHRISTO FIDES, QUAE PER DILECTIONEM OPERATUR.

FIDES.

CREDO. PRIMUS ARTICULUS.

E_57A v.1 Confiteor primum ore pio, venerorque fideli
 2 mente deum patrem, vel nutu cuncta potentem.
 3 Hunc, qui stelligeri spatiosa volumina caeli,
 4 et solidum omniparae telluris condidit orbem.

ET IN JESUM. II.

5 Ejus item gnatum Jesum, cognomine Christum,
 6 quem dominum nobis agnoscimus ac veneramur.

QUI CONCEPTUS. III.

7 Hunc Maria afflatu divini numinis, alvo
8 concepit virgo, peperit purissima virgo.

PASSUS SUB PONTIO. IIII.

9 Et grave supplicium immeritus, damnante Pilato,
10 pertulit, infami suffixus in arbore mortem
11 oppetiit, tumulatus homo est claususque sepulchro.
12 Interea penetrat populator ad infera regna.

TERTIA DIE. V.

13 Mox ubi tertia lux maesto se prompserat orbi,
14 emersit tumulo, superas redivivus in auras.

ASCENDIT. VI.

15 Inde palam aetheream scandit sublimis in arcem
16 illic, jam dexter patri assidet omnipotenti.

ITERUM VENTURUS EST. VII.

17 Idem olim rediturus, ut omnem judicet orbem
18 et vivos pariter vitaeque ac lumine cassos.

CREDO IN SPIRITUM. VIII.

19 Te quoque credo fide simili spirabile numen
20 halitus, afflatusque dei sacer, omnia lustrans.

SANCTAM ECCLESIAM. IX.

21 Et te confiteor sanctissima contio, qua gens
22 Christigena arcano nexu coit, omnis in unum
23 corpus, et unanimis capiti sociatur Iesu.
24 Hinc proprium nescit, sed habet communia cuncta.

REMISSIONEM PECCATORUM. X.

25 Hoc equidem in coetu sancto. Peccata remitti
26 credo, vel iis sacro fuerint qui fonte renati,
27 vel qui diluerint ultra sua crimina fletu.

CARNIS RESURRECTIONEM. XI.

28 Nec dubito quin exanimata cadavera sursum
29 in vitam redeant, animas sortita priores.

VITAM AETERNAM. XII.

30 Utraque pars nostri corpusque animusque deinceps
31 juncta fimul, vitam ducent sine fine perennem.

SACRAMENTA.

E_57B v.1 Hoc quoque persuasum est ecclesia mystica septem
2 munera dispensat, quae sacramenta vocantur.
3 Hinc variae dotes et gratia plurima menti
4 caelitus inseritur, si quis modo sumpserit apte.

ORDO. I.

5 Ordine namque sacro, confertur sacra potestas
6 ut fungare ministeriis, Christo auspice, sanctis.

MATRIMONIUM. II.

7 Munere conjugii nati hunc prodimus in orbem,
8 usque adeo pulchri, pulcherrima portio, mundi.

BAPTISMUS. III.

9 Munere baptismi longe felicius iidem
10 quod prius in te, Christe, renascimur, atque novamur.

CONFIRMATIO. IIII.

11 Deinde in amore dei nos confirmatio sacra
12 constabilit, mentemque invicto robore durat

EUCCHARISTIA. V.

13 mysticus ille cibus (Graeci dixere synaxin)
14 qui panis vinique palam sub imagine, Christum
15 ipsum praesentem vere exhibet, intima nostri
16 viscera, caelesti saginat et educat esca,
17 inque deo reddit vegetos et reddit adultos.

POENITENTIA. VI.

18 Si quem forte deo capitalis reddidit hostem
19 noxia, continuo metanoea medebitur illi.
20 Restituet lapsum rescissaque foedera rursus
21 sarciet, offensi placabit numinis iram,
22 commissi modo paeniteat pigeatque nocentem.

23 Isque volens peragat praescripta piamina culpae.

UNCTIO. VII.

24 Unguinis extremi munus nos munit et armat,
25 migrantemque animam per summa pericula tuto
26 tansmitit patriae et superis commendat euntem.

AMOR DEI.

E_57C v.1 Haec est indubitata fides, cui pectore certo
2 nixus, amabo patrem super omnia cunctipotentem,
3 qui me condideritque et in hunc produxerit orbem.
4 Rursus amore pari dominum complectar Iesum,
5 qui nos asseruit pretioque redemit amico.
6 Spiritum item sanctum, qui me sine fine benigno
7 afflatu fovet, atque animi penetralia ditans
8 dotibus arcanis, vitali recreat aura.
9 Atque hic ternio sanctus et omni laude ferendus,
10 toto ex corde mihi, tota de mente, supremis
11 viribus, obsequio, meritoque coletur honore.
12 Hunc unum reverebor et hoc semel omnis in uno
13 spes mea figetur, hoc omnia metiar uno,
14 hic propter sese mihi semper amabitur unus.
15 Post hunc haud alia ratione, ac nomine charus
16 ipse mihi fuero, nisi quatenus omnis in illum
17 ille mei referatur amor fontemque revisat.

FUGA PECCATI.

18 culpam praeterea fugiam pro viribus omnem,
19 praecipue capitale tamen vitavero crimen.
20 Quod necat atque animam letali vulneret ictu.

SUPERBIA, INVIDIA, IRA.

21 Ne fastu tumeam, ne vel livore maligno
22 torquear, aut bili rapiar fervente, cavebo.

GULA, LUXURIA, PIGRITIA.

23 Ne vel spurca libido, vel insatiabilis alvus
24 imperet, enitar, ne turpis inertia vincat.

AVARITIA.

25 Ne numquam saturanda fames me vexet habendi,

26 plus satis ut cupiam fallacis munera mundi.

FUGA MALORUM HOMINUM.

27 Improba pestiferi fugiam commercia coetus
28 omnia, summo animi conatu , proque virili.

STUDIUM PIETATIS.

29 Atque huc incumbam nervis ac pectore toto,
30 ut magis atque magis superet mihi gratia. Virtus
31 augeturque piae divina scientia menti.

ORATIO.

32 Orabo, superosque precum libamine puro
33 placare adnitar, cum tempore sedulus omni,
34 tum vero eximie, quoties lux festa recurret.

FRUGALITAS VICTUS.

35 Frugales epulae semper mensaeque placebit
36 sobria mundities, et avari nescia luxus.

JEJUNIUM.

37 Servabo reverens, quoties jejunia nobis
38 indicit certis ecclesia sancta diebus.

MENTIS CUSTODIA.

39 Sancta uti sint mihi secretae penetralia mentis,
40 ne quid eo subeat foedumve nocensve, studebo.

LINGVAE CUSTODIA.

41 Ne temere juret, ne umquam mendacia promat.
42 Turpia ne dictu dicat mea lingua, cavebo.

MANUS CUSTODIA.

43 A furto cohibebo manus, nec ad ulla minuta
44 viscatos mittam digitos, et si quid ademptum
45 cuiquam erit, id domino properabo reddere justo.

RESTITUTIO REI FORTE REPERTAE.

46 Id quoque restituum, si quid mihi forte repertum est.
47 Me penes haud patiar prudens aliena morari.

AMOR PROXIMI.

48 Nec secus atque mihi sum carus, amabitur omnis
 49 proximus, est aurem (ni fallor) proximus ille
 50 quisquis homo est, ac sic ut amor referatur amici
 51 in Christum, vitamque piam, veramque salutem,
 52 huic igitur fuerit quoties opus atque necesse,
 53 sedulus officio corpusque animumque juvabo.
 54 Ut mihi succurri cupiam, si forsan egerem.
 55 Id tamen in primis praestabo utrique parenti,
 56 per quos corporeo hoc nasci mihi contigit orbe,
 57 tum praeceptori, qui me erudit instituitque
 58 morigerus fuero, ac merito verebor honore.
 59 At rursus dulcisque scholae studiisque sodales,
 60 semper (uti par est) sincero amplectar amore.

ASSIDUA CONFESSIO.

61 Si quando crimen fuero prolapsus in ullum,
 62 protinus enitar, pura ut confessio lapsum
 63 erigat ac justa tergatur noxia poena.

SUMPTIO CORPORIS CHRISTI IN VITA.

64 Ast ubi sacrati me ad corporis atque cruoris
 65 caelestes epulas pietasque, diesque vocabit,
 66 illotis manibus metuens accedere, pectus
 67 ante meum, quanta cura studioque licebit
 68 purgabo maculis, virtutum ornabo nitelis.

MORBUS.

69 Porro ubi fatalis jam terminus ingruet aevi
 70 extremumque diem cum morbus adesse monebit,
 71 mature sacramentis me armare studebo,
 72 atque his muneribus, quae ecclesia sancta ministrat
 73 Christigenis, reteget confessio crimina vitae
 74 sacrifico, sumam Christi venerabile corpus.

MORS

75 Quod si vicinae propius discrimina mortis
 76 urgebunt, supplex accersam qui mihi rite
 77 oblinat ac signet sacro ceromate corpus.
 78 Atque his praesidiis armatus, sic uti dignum est
 79 Christicola, forti ac fidenti pectore, vita
 80 decedam, bonitate dei super omnia fretus.

HOC FAC ET VIVES.

IN LAUDEM MICHAELIS ET ANGELORUM OMNIUM.

ODE DICOLOS HENDECASYLLABA SAPPHICA, SUFFIGENDA IN TEMPLO MICHAELI SACRO.

E_58 v.1 Caelitum princeps, Michaele, et omnes
 2 spiritus sacri, libeat precamur
 3 supplicum votis tribuisse pronas
 4 caelitus aures.
 5 Sordidae sed ne merito canentum
 6 sordeant odae, citus huc ab arce
 7 devolet fulgente, Seraph decoris
 8 igneus alis.
 9 Qui foco sacro usque calentis arae
 10 calculum vivum rapiens (ut olim)
 11 applicet nostris placidus labellis
 12 oraue tergat.
 13 Luridae quicquid maculae perurat
 14 desidem pellens animo teporem,
 15 igneas cantent acies (ut aequum est)
 16 ignea verba.
 17 Porro tu primas tibi vendicato
 18 carminis partes, Michael beate,
 19 primipilari duce quo triumphant
 20 agmina caeli.
 21 In quibus luces, itidem ut pyropus
 22 nobiles inter radiat lapillos,
 23 utve formosus socia inter ardet,
 24 Lucifer astra.
 25 Jus tibi summum necis atque vitae,
 26 tradidit magni moderator orbis,
 27 tu potes servare probos, et idem
 28 perdere sontes.
 29 Tu piorum tutor et advocatus,
 30 tu dei in templo nitidas ad aras,
 31 visus es dextra tenuisse plenam
 32 turis acerram.
 33 Inde surgens fumus odore multo,
 34 ibat ad summi solium tonantis,
 35 ac dei nares liquidi juvabant
 36 dona vaporis.
 37 Tu pias laetis animas reponis
 38 sedibus, cantu procul audiendo
 39 squalidis olim gelida exciebis
 40 funera bustis.
 41 Quam dedit laetos pia turba plausus,
 42 cum gravi caelum quateret ruina,

43 hostis et serpens veterator, acri
44 non sine pugna.
45 Ille sublimes subito sub auras
46 emicans, septem (stupuere cuncti)
47 ora tollebat, colubris tumbant
48 colla trecentis.
49 Flammeis ardens oculis, Avernum
50 virus efflabar furiale monstrum,
51 fulminisque instar, piceos vomebat
52 faucibus ignes.
53 Te nihil terret rabies minacis
54 beluae, sed vi domitam superna,
55 cogis absorptam, superas ad auras
56 reddere praedam.
57 Quae tuas fulvas fugitat sub alas
58 laeta, praesenti sed adhuc periculo
59 palpitans, elapsa velut rapaci
60 ales ab ungui.
61 Ergo ne quid jam trepident, cadaver
62 triste deturbas, labat ac labantis
63 pondus exhorrens, aperit profunda
64 Tartara tellus.
65 Non secus, quam si Siculo Peloro
66 pendulum in fluctus abeat cacumen,
67 territum cedit refluxumque late
68 dissilit aequor.
69 Ferreis illic domitus catenis,
70 horridum quassat caput ac minatus
71 multa nequicquam, furibundus iras
72 volvit inanes.
73 Te manet palma, o Michael, suprema.
74 Te novi plausus, tibi non iniquas
75 impius poenas dabit Antichristus,
76 orbe levato.
77 Laetus idcirco meritos uterque
78 orbis, en hymnos canit, altus aether
79 inclyto gaudet duce, gaudet aequae
80 praeside tellus.
81 At meri cantus celebrantur isthic,
82 hic (uti res sunt variae atque mixtae)
83 reddimus proni querulis remixta
84 carmina votis.
85 En vides quantis miseri premamur
86 cladibus (nostro merito fatemur)
87 tota pro caeci terimus nefandis
88 saecula bellis.
89 Si tibi haud frustra data cura nostri est,
90 si tibi pax non temere vocabulum
91 mutuat, belli procul o cruentos
92 pelle furores.
93 Fac tua lenis prece, rex olympi,

94 vindicem condat miseratus ensem,
 95 ferias donet referatque fessis
 96 otia terris.

DE SINGULARI LAUDE GABRIELIS ANGELI.

E_59 v.1 Te quibus digne recinemus odis,
 2 Gabriel, quem rite chorus supernus
 3 proximum primo colit ? O Tonantis
 4 armiger alti.
 5 Illius tu strenuus administras
 6 bella, nec quisquam melior, piorum
 7 castra tutari et rabidas nocentum
 8 frangere vires.
 9 Tu tenes oracula sacra, te olim
 10 nuntio, casus didicit futuros,
 11 Ille quem insonti leo gaudet atrox
 12 lambere rictu.
 13 Tu Zachariae vetulo marito,
 14 thura dum festis adolet sacellis,
 15 pignoris seri subitus stupenti
 16 nuntius adstas.
 17 Cuncta quid frustra sequimur canendo,
 18 illius dulce est meminisse nunti,
 19 laetius quo nil lacrimosus umquam
 20 audiit orbis.
 21 Nec salus olim neque spes salutis
 22 ulla erat, sed mors stygiis profecta
 23 sedibus, gentem rapiebat omnem,
 24 vindice nullo.
 25 Tum novas auctor meditatus artes,
 26 ipse ut invisat homo factus orbem,
 27 Te rei tantae, Gabriel, ministrum
 28 deligit unum.
 29 "Advola terris, ait, et saluta
 30 Virginem, matrem mihi mox futuram.
 31 Fac sacramentum tege, ne ille sciscat
 32 callidus hostis."
 33 Sic opus facto neque plura fatus
 34 ille, tu lapsu placido volucres
 35 dissecas nubes decorasque pictis
 36 aethera pennis.
 37 Qualis adversos feriente nimbos
 38 sole, resplendet (monumenta pacti
 39 Iris antiqui) varioque caelum
 40 cingit amictu.
 41 Vidit obliquis oculis volantem
 42 dextero caelo metuitque latis
 43 incubans terris draco luridoque
 44 palluit ore.

45 Tecta tu pernix Nazaraea tangis,
 46 mox et illapsus thalamis pudicae
 47 Virginis, mandata refers sereno
 48 regia vultu.
 49 Nostra cui primum hic lyra gratuletur,
 50 haesitat, mundone malis levato,
 51 an deo fetae potius puellae,
 52 an tibi dive
 53 conscio mentis meritoque summis
 54 rebus accersi, tibi tam sacrato,
 55 tamque felici licuit vel uni
 56 munere fungi.
 57 Noster o salve bone pacifer, qui
 58 surculum adportans oleae virentem,
 59 nuntias primus, meliora mersis
 60 saecula terris.

DE LAUDE RAPHAELIS.

E_60 v.1 Proxime primis Raphael canere,
 2 ordinis pars non humilis superni,
 3 tute nam clarum comitem duobus
 4 tertius addis.
 5 O salus, ac certa hominum medela
 6 rebus afflictis, ope cujus olim
 7 reddito vidit reducem Thobias
 8 lumine gnatum,
 9 nec modo salvum, sed et aere largo
 10 divitem, multa serie clientum
 11 divitem, ac longis gregibus, novaque
 12 conjuge laetum.
 13 Ethnici Phoebumque genusque Phoebi,
 14 saxeos olim coluere divos,
 15 hos rati morbis dubiis rogatam
 16 ferre salutem.
 17 Nos magis nos te colimus, potentem
 18 vel nigro manes revocare ab Orco,
 19 rursus et pigris animam liquentem
 20 spargere venis.
 21 Tu simul membris, simul o medere
 22 mentibus praesens opifer luemque
 23 in tuos, eheu, male saevientem
 24 exige terris.

DE OMNIBUS ANGELIS.

E_61 v.1 Nec tacendi estis proceres ducesque
 2 ceteri nobis breviterque cuncti
 3 milites regis dicione late

4 cuncta tenentis.
 5 Ambitu quem ter triplici triformem
 6 dextera laevaue frequentiores
 7 cingitis quam nocte silente plenam
 8 sidera lunam.
 9 O salutandi novies beari,
 10 otium quorum mala nulla terrent,
 11 certa quos divi beat intuentes
 12 copia vultus.
 13 Invidet vestrae miser ille sorti,
 14 eminus sedes quotiens ademptas
 15 suspicit frendens et inauspicati
 16 paenitet ausus.
 17 Vespero quondam similis rubenti
 18 inter aeternos rutilabat ignes.
 19 At simul regis diadema miles
 20 ambiit audax,
 21 jam pares volvens animo cathedras
 22 flammeo telo, grege cum sequaci
 23 ictus ejectusque, rudem ruina
 24 terrui orbem.
 25 Excipit partim cava Styx ruentes,
 26 abditur lucis bona pars opacis,
 27 cursitat magnum per inane, multo
 28 plurima turba.
 29 Densior quam Cecropiis in hortis,
 30 tinnulos aeris crepitus secuta,
 31 evolant examina, quamque caelo
 32 decidit imber.
 33 Pugnat hoc unum haec vigil, improboque
 34 omnis incumbit studio, pios ut
 35 distrahat, tundat, geminoque raptos
 36 funere perdat
 37 Ah nefas, quantum daret illa stragem ?
 38 Cui salus tandem ? Nisi frangeretur
 39 obviis vobis furor et nocendi
 40 dira libido ?
 41 Vestra nos tutela fidelis ortos
 42 excipit nec luce prius relinquit.
 43 Semper hac freti nihili furentem
 44 ducimus hostem.
 45 Imus hac tuti tumidum per aequor,
 46 asperas tuti penetramus alpes,
 47 vivimus vestro morimurque demum
 48 munere tuti.
 49 Vos parum firmis dare robur, iidem
 50 anxios nostis gemitus levare
 51 nuntiis felicibus, ac subinde
 52 visere castos.
 53 Caelici cives, adeone vobis
 54 exsules curae sumus, ut vacet sic

55 obsequi nobis pigeatque numquam
 56 sortis iniquae ?
 57 Nuntii crebri volitatis, inter
 58 arduos caelos humilesque terras,
 59 hinc preces fertis querulas, at istinc
 60 dona refertis.
 61 Porro nos tantis metitis (quod unum
 62 possumus) gratos memori camena
 63 reddimus cantus, ferimusque templis
 64 dona dicatis.
 65 Ferias anno referente sacras,
 66 caelat hic festus simulacra fumus,
 67 hic chorus supplex manibus facessit
 68 vota supinis.
 69 Quae patris summi penetrent ad aures
 70 semper, ac per vos rata sint precamur,
 71 o patroni praesidiumque felix
 72 Christigenarum.

EX VOTO DICATUM VIRGINI VUALSINGAMICAE APUD BRITANNOS.

E_62 v.1 (Carmen graece scriptum)
 (14 vers iambiques)

EPITAPHIUM SCURRULAE TEMULENTI. SCAZON.

E_63 v.1 Pax sit, viator, tacitus hos legas versus,
 2 ut sacra verba mussitant sacerdotes,
 3 ne mihi suavem strepitus auferat somnum,
 4 repetatque vigiles ilico sitis fauces.
 5 Nam scurrula hocce sterto conditus saxo,
 6 quondam ille magni clarus Euii mystes,
 7 ut qui bis octo lustra perbibit tota,
 8 oculis profundus, deinde somnus obrepsit,
 9 ut fit, benigno membra cum madent Baccho.
 10 Atque ita peractis suaviter bonis annis,
 11 idem bibendi finis arque vivendi
 12 fuit. Sed etiam me aliquis ebrium credat,
 13 aut somniare, qui ista dormiens dicam.
 14 Vale, viator, jam silenter abscede.

ENCOMIUM SELESTADII. CARMINE ELEGIACO.

E_64 v.1 Nobile Slestadium, tua quis pomoeria primus
 2 signans, tam dextris condidit auspiciis ?
 3 Unde tibi Genius tam felix tamque benignus ?
 4 Sidera nascenti quae micuere tibi ?

5 Cum videaris enim neque muro insigne capaci,
 6 plebe nec innumera divitiisve scatens,
 7 urbibus in cunctis, tamen haud felicior ulla est
 8 quotquot Caesarea sub ditione vigent.
 9 Non ego jam memoro, quod fertilis undique campus
 10 adjacet et segetem prosperat alma Ceres.
 11 Quodque hinc vitiferos montes, hinc ditia Rheni
 12 flumina prospectas, grata quod aura fovet.
 13 Commoda bella, sed haec tecum communia multis,
 14 dotibus hisce simul vinceris, et superas,
 15 Illa tibi propria est, quod et una et parva, tot aedis
 16 virtute insignes ingenioque viros.
 17 Tot pariter gemmas, tot lumina fundis in orbem,
 18 quot multis aliis vix genuisse datum est.
 19 Doctrinae proceres tot habes, quot proditor ille
 20 vix belli proceres occulisset equus.
 21 Quam non Vuimphlingus, quam non Spiegellius urbem,
 22 quam non Kirherus nobilitare queat ?
 23 Unde tibi Sapidus, doctis quoque dignus Athenis ?
 24 Unde sacer Phrygio, Storkius unde tibi ?
 25 Unde tibi Arnoldus, Mysis excultus, et unde
 26 Matthias niveo pectore Schurerius ?
 27 Ut sileam reliquos, non te satis ille Beatus
 28 Rhenanus, lingua doctus utraque beat ?
 29 Quae tibi cum liquido tacita est cognatio caelo ?
 30 Num quod Palladia numen ab urbe favet ?
 31 Corpora gignit humus, mens aethere manat ab alto :
 32 membra aliae pariunt, tu paris ingenia.
 33 Quis non invideat tam splendida commoda, ni quod
 34 non tibi, sed mundo fertilis, ista paris.
 35 Gloria te penes est unam, sed fructus ad omnes
 36 pervenit, humanum qua patet orbe genus.
 37 Haec memor hospitii, tibi carmina panxit Erasmus
 38 haud lepida, at grata qualiacumque cheli.

AD SEBASTIANUM BRANT ARCHIGRAMATEUM URBIS ARGENTINENN.

E_65 v.1 Ornarunt alios suae Camenae,
 2 ornas ipse tuas magis Camenas,
 3 multos patria reddidit celebres,
 4 urbem tu celebrem, celebriorem
 5 multo constituis, Sebastiane,
 6 lingua, moribus, eruditione
 7 libris, consilio, severitate.
 8 Sic cum fenore plurimo rependis
 9 acceptum decus, e tuo vicissim
 10 illustrans patriamque literasque,

AD THOMAM DIDYMU AUCUPARIUM POETAM LAUREATUM.

E_66 v.1 Quas mihi transcribis, doctissime Didyme, laudes,
 2 ut sunt majores quam quas agnoscere possim,
 3 ni prorsus frons nulla foret, sic rursus eaedem
 4 sunt adeo doctae talique e pectore natae,
 5 ut minime libeat, quas das rescribere. Veras
 6 esse perinde optans, quam sunt lepidae atque venustae.
 7 His ego non sane placeo mihi. Tu mihi vates
 8 lauro digne places, nam dum me reddere magnum
 9 carmine magnifico docte conniteris, ipsum
 10 te ostendis vere magnum vereque stupendum,
 11 ut qui viribus ingenii possis elephantum
 12 reddere de musca nihilique attollere tricas.
 13 Sed quo iudicium minus approbo, maxime vates,
 14 hoc mage laetor amore tuo candoreque mentis.

AD ANDREAM AMMONIUM LUCENSEM, INVICTISSIMI REGIS ANGLORVM A LIBELLIS.

E_67 v.1 Quicumque dotes reputet Ammoni tuas,
 2 oculisque totum lustret admotis prope
 3 oris decus, proceritatem heroicam,
 4 vultuque toto et universo corpore
 5 bene temperatam dignitate gratiam,
 6 nitentium blandum vigorem luminum,
 7 linguaeque plectrum tam suave tinniens,
 8 mores dehinc horas ad omnes commodos,
 9 faciles, amicos, melle melleos magis,
 10 veneres, lepores, gratias, risus, jocos,
 11 mitem indolem, mentisque candorem novum,
 12 mireque mixtam simplicem prudentiam.
 13 His pectus adde sordido aversum lucro
 14 dextramque quam pro sorte largiusculam.
 15 Jam quam benigni vena dives ingeni ?
 16 Quot animus unus expolitus litteris ?
 17 Ac rursus his par addita est facundia.
 18 Demum universa haec rara condit comitas,
 19 et improbi livoris arcet fascinum
 20 modestiae jucunditas, cum dotibus
 21 in tam superbis, nil superbum in moribus.
 22 Haec quisquis, inquam, pensitet, tot affatim
 23 congesta in unum, nonne merito dixerit ?
 24 Soli parentem fuisse naturam tibi,
 25 contra novercam ceteris mortalibus.
 26 Horum licet tibi ipse debes pleraque
 27 restant tuae fortuna jam partes, uti
 28 dotes ita amplas, opibus exaeques tuis,
 29 nisi vis videri aut caeca plane aut invida.

AD LUCAM PALIURUM RUBEQUENSEM EPISCOPI BASILEIENSIS CANCELLARIUM,

E_68 v.1 Exhaustum immodico novale cultu
 2 mentitur queruli spei coloni.
 3 Effetum ingenium labore longo,
 4 nil dignum parit hoc amore nostro
 5 quo te prosequor unice, inter omnes,
 6 mellitissime Paliure amicos,
 7 nec dignum meritis tuis, nec ipsi
 8 quod respondeat eruditioni.
 9 Quod solum licet, hoc in omne tempus
 10 praestabo, ex animo medullitusque
 11 nostrum (sic meritum est) amabo Lucam.

IN FUGAM GALLORUM INSEQUENTIBUS ANGLIS APUD MORINUM, AN. MDXIII.

DES. ERASMI ROTERODAMI. ALLUDIT AD CARMEN MARTIALIS DE CATONE.

E_69 v.1 Audivit olim censor ille Romanus,
 2 ludos jocos aequando noveras Florae
 3 cur in theatrum, Cato severe, venisti ?
 4 An ideo tantum veneras ut exires ?
 5 At jure nunc imbellis audiat Gallus,
 6 ludum cruenti quando noveras Martis,
 7 animos ferocis quando noveras Angli,
 8 quid, quaeso, in aciem, timide Galle, prodisti,
 9 ferro minaci splendida agens turmas ?
 10 An ideo tantum veneras, uti foede
 11 fugiens sequenti terga verteres hosti ?
 12 Ac si pedum certamen esset, haud dextrae.
 13 Cato feminas videre non potest, Gallus
 14 viros. Cato mutare potest non vultum,
 15 Gallus nequit mutare pectus ignavum.

CUM MULTUS MENSES PERPETUO PLUISSET, ET PER UNAM MODO DIECULAM SE MUNDO
 SOL OSTENDISSET. RURSUSQUE NON MINUS ODIOSE QUAM ANTEA PLUERET,
 ERASMUS BASILEAM REPETENS, IN ITINERE SIC LUSIT IN JOVEM, AN. MDXV.

E_70 v.1 Menses cum prope Juppiter per octo,
 2 vota surdus ad omnium pluisset,
 3 agros jam male perdidisset omnes,
 4 vexasset segetesque vineasque,
 5 tandem desierat, pudore credo,
 6 et tandem licuit videre solem,
 7 quem migrasse polo, timebat orbis,
 8 aeternam ratus imminere noctem.
 9 Vixdum sesquidiem nitere passus
 10 obducit nebulisque nubibusque

11 totum qua patet undequaque mundum.
 12 Ac rursus similis sui esse pergit.
 13 Istoc si moderere pacto Olympum,
 14 nec quicquam es nisi nubium coactor,
 15 quis non officium probet gigantum ?
 16 Et cognomina consueta vertens,
 17 pessimum vocet, infimumque divum ?

EPITAPHIUM PHILIPPI COENOBITAE CLUNIACENSIS.

VIATOR.

E_71 v.1 Isti cur lubet assidere saxo,
 2 cum toto Pietas choro sororum ?

PIETAS.

3 Hic noster jacet unicus catervae
 4 vindex, ille Philippus, ille dudum
 5 coetus gloria prima Cluniaci.

VIATOR.

6 Luctum at pulla solet decere vestis,
 7 vos albis video nitere totas.

PIETAS.

8 Cujus tam nivei fuere mores,
 9 cui tam candida sit peracta vita,
 10 hujus funera non puto decere
 11 aut pulla, aut lacrimis <meis> nigrandum. (vers lacuneux)

ERASMUS ROTERODAMUS
 GUILIELMO NESENO CALAMUM DONO DEDIT CUM HOC EPIGRAMMATE.

CALAMUS LOQUITUR.

E_72 v.1 Tantillus calamus, tot, tanta volumina scripsi
 2 solus, at articulis ductus Erasmiacis.
 3 Aediderat Nilus, dederat Reuchlinus Erasmo,
 4 nunc rude donatum me Gulielmus habet.
 5 Isque sacrum Musis servat, Phoeboque dicatum,
 6 aeternae carum pignus amicitiae,
 7 ne peream obscurus, per quem tot nomina noscet
 8 posteritas, longo numquam abolenda die.